





EPISTOLIUM CONSOLATORIUM
Cum nonnullis epigrammatibus,
Ad
VIRUM MAGNIFICUM, AMPLISSImum & Consultissimum,


DN. IURGA-VALENTINUM VVINTERUM, J. U. Doctorem, Comitem Palatinum cœsareum, Consiliarium aulicum & Pædagogij Stetinensis Capitularem, obitum filiolæ suæ, eheu! desideratissimæ, lugentem,

Scriptum ab amicis quibusdam candidis.
Anno & Die,
LVCe Abrahæ MorItVr VIntherI Gnata (CathrIna:
ILLI Cœlipotens Conferat astra pater.

STETINI,
Typis SAMUELIS KELLNERI, Anno 1622.

Eccles: c. 30.

Melior est Mors, quàm vita amara: Et reqvies æterna quàm languor perseverans.



2. Regum 14.

Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.

Salutem à ſalutis fonte Emanuele noſtrô.

IN publico(proh dolor!)omnes verſamur jam luctû,ob inopinatũ Jll^mi ac Rever^mi Principis noſtri ULDARICI obitũ, & ad bëatiora Illa loca abitum; Tu verò Magnifice Vir, amice & adfinis colende, præter publicum privatô inſuper & domeſticô luctû premeris, dum cariſsimam amiſiſti *Filiolam*. Prior communẽ hanc noſtram, totam ſcilicet tangit & angit POMERANIAM: Poſterior domũ & familiam VVYNTERIANAM;

Si liceat magnis rebus cõponere parvas, ut ait Poëta.

Uterq; jam lenimine & malagmate indiget: Illum quidem ut mitigemus, ardentibus ad DEUM precibus opus eſt, quò pœnam cervicibus noſtris imminentem benignus avertat, Jll^mam, quæ nobis supereſt ô (utinam diutiſsimè!) POMERANIÆ *Ducum Bigam* ſalvam & incolumen ſervet, conſervet, fœcundet, ſecundet, ut ſub Illâ, ejusq; Poſteritate, nos noſtriq; aureâ fruamur

mur

mur pace, ad extremum usq; supremi judicij momentum! Hic Amicorum exposcit consolationes, quæ (teste Euripide) Si lugenti nimirum Amico Amicus subveniat, longè gratiores sunt, quàm si nautis in tempestate serenitas obveniat. Ne itaq; & ego partibus meis deësse videar, Epistoliolô hôc, tenui licet, magnum tamen animi mei dolorem contestari volui. Quæso autem luctus ille tuus parcior & moderatior sit, & tui ipsius, quem febriles adhuc exagitant Paroxysmi, rationem habeas: Quid enim Vita, quam filiæ tuæ ereptam luges? ludibriorum scena, miseriarum mare, per quod ut maxumè ex votô feratur navis, in multos tamen scopulos impingat, multis vadis obhærescat, necessum est: Quid contrá Mors? Dulcis somnus, requies, gaudium, finis miseræ hujus & principium melioris Vitæ, aut si quid in eâ mali, malis tantùm. Quæ cum jam Deô sic disponente teneræ etiam huic plantulæ, è terrestri in cœlestem hortum transpositæ, obtingant, cur invideamus? Tibi interim Clarissime Vir sanitatem constantem & cum novô instante hôc annö, novas

novas vires ex animò precor. Dabam è Musæo meo, ipsâ die Incarnationis Dominicæ Anni M. DC. XXII.

Tui perpetuùm

Obser[mus.]

AND. HILTEBRANDT Med. Doct.

Ad piè defunctam ejusdem
τετράστιχον.

Una Tibi nomen dedit & primordia vitæ
BRUMA, sed Altera, jam dat tibi BRUMA necem!
Planta soli Brumalis eras, Vernalis at, inde
Erepta, æternum es vivida Planta poli.

ALIUD.

ALIUD.

ERgo & Tu WINTERE, aliquid per funera (Natæ
Passus es humanum! & Tibi jam, contingere cuïvis
Quæ possunt homini, sentis contingere posse!
Natos nempe Homines hinc noscis Teq; Tuosq;,
Communiq; hominum sub conditione jacere.
Nec solùm id noris: Sed & hoc Te nosse decebit,
In cœlis quòd qui nobis DEUS omnibus, idem
Et tibi sit DEUS. Hic DOMINUS vitæq; necisq;,
Corporis atq; animæ, sortis lætæq; malæq;:
Cunctis cuncta super qui proinde tremore timendus.
Sed nec & id solùm: quin & Te nosse memento,
Quòd tamen haud tantô sit fas tremuisse timore;
Ut spes, ut q; fides, animusq; hinc excidat omnis.
Sed quoq; cuncta super DOMINUS reverenter aman- (dus,
Omnis & in solo figi fiducia debet.
Pro nece dat vitam hic, animis hic corpora rursus
Jungit, luce crucem lætisq; hic tristia mutat.
Ergo timens & ama, & contrà fidentior insta.
Dicito: IOVA DEDIT, IOVA ABSTULIT (egit Iova
Usus jure suo) BENEDICTUM NOMEN JOVÆ.

Doloris levandi, honoris testandi causâ f.

M. Heinricus Kielmannus,
Ducal. Pædagogij ConR.

ALI-

ALIUD.

Anna Catharina VVinterias


Per duplex Anag:

Prius, Aſpir: neglect:

Nata ain'? curâ annitar IESU.

Poſterius:

J nata, vernant hic arva ſanis.


Æti dum pueri ſparſæq; lepore puellæ
expectant Chriſti dona novella ſui:
Ecquid Winterias ſpirat? quæ munera ſperat?
non mundi immundi, ſed nova ſerta Poli.
Decumbit, patrius generoſâ per ora recurrit
candor; ſed morbus membra tenella coquit.
Quid pater? in carâ cura omnis & omne levamen
Stat natâ, mæſtus ſic gemit atq; fremit;
Tu me Cara tui cupidum ſic deſeris? inſtat
læta dies, CHRISTUS quâ ſua dona dabit.
Mitte mori: mors eſt homini fœcunda malorum:
Vita placet; vitæ ſis comes ANNA meæ.
Non mala, læta refert, mihi mors; horrenda videtur
illis, quos ſcelerum ſarcina dura premit.
Sævi ſiquid habet, *curâ* en *annitar IESU*,
ut vincam: *pugnat qui hoc duce, victor erit.*
Nata ain'? hinc genitor, *curâ* en *annitar IESU*,
inquit; ovas; palmam, ſic age, læta feres.
Mox ea: Ieſſæo connatam ab origine labem
Sanguine deterſi; mors mihi porta poli eſt.

Blan-

Blandidulo adventans ſolatur IESULUS ore.
Suggerit & vires, & rata ſerta parat
Hûc i *nata*, vocat, *ſanis hic arva* colonis
Vernant: deponam hæc membra, vocata ſequar.
Sic ait, & placido conſepit lumina ſomno,
ceu cadit inciſus floſculus ante diem.
Quare ne pectus nimium *Vir magne* paternum
Excrucies, patriâ nata potita ſuâ eſt.

Ad conteſtandam obſervant :
& συμπάθειαν ita L.

M. MARTINUS LEUSCHNERUS
S. S. Theol : Stud : Ducal : Pædagog :
Sedin : SubR.

FINIS.



